



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

§. Scoti explicatio ponitur & refellitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Scoti explicatio ponitur, & refellitur.

Scotus in 1. sic ait: quæ ita sunt eadem vni tertio, vt ab illo nec realiter, nec ex natura rei distinguantur, etiam esse idem inter se; quæ vero ita identificantur vni tertio, vt ab eo ex natura rei modaliter, vel formaliter distinguantur, posse distinguí realiter inter se; cum autem personæ diuinæ, & relationes, licet identificentur realiter cum essentia, distinguantur ex natura rei formaliter ab illa, distinguuntur realiter inter se, & non identificantur; hæc solutio Scoti, vt ait Pater Vazquez, & confirmat Pater Ruiz, quos sequitur Pater Granado in supposito est hæresis, vel error Gilberti Porretani, & ideo omnino rejicienda tanquam falsa in suppositione, adhuc tamen concessa suppositione perperam explicat illud principium, vnde tam suppositum solutionis, quam ipsa solutio debet impugnari.

Primo enim oppugno falsitatem illam, quam supponit Scotus dicendo, personas, & relationes distinguí ex natura rei ab essentia diuina; & primo quia hæc sententia immediatè, & contradictoriè opponitur definitioni Concilij Lateranensis, quæ sic se habet: [Patrem Filium, & Spiritum sanctum esse idem omnino, quoad essentiam;] vbi notanda est particula illa, idem omnino, quæ dupliciter potest explicari, aut exponi. Primo vt significet, habere omniidentitatem personas cum essentia; quia particula, omnino, æquipollet nomini, omnis, & omne; vnde quando dicitur in Deo, Deus est omnino potens, Deus est omnino sanctus, Deus est omnino sapiens, ac tandem Deus est omnino vnus, & simplex; idem est, ac Deus habet omnipotentiam, omnisapientiam, omnis sanctitatem, & omnis simplicitatem; ergo si Concilium Lateranense docet personas, & relationes esse omnino idem cum essentia, concedit omniidentitatem cum illa: atqui Scotus tribuit, vel affirmat, inter diuinitatem, & personas dari aliquam non identitatem à parte rei formaliter inter personas easdem, & eandem diuinitatem, quia asserit dari aliquam distinctionem formaliter; sed aliqua distinctio est aliqua non identitas; vnde distinctio realis simpliciter est non identitas realis & distinctio modalis est non identitas modalis. Ita similiter distinctio formalis ex natura rei erit non identitas formalis ex natura rei; sed non identitas formalis ex natura rei est aliqua non identitas: ergo Scotus, qui concedit non identitatem formalem ex natura rei, concedit aliquam non identitatem inter personas, & essentiam diuinam; vnde est verum dicere inter personas diuinas, & essentiam est aliqua non identitas; sed aliqua non identitas est contradictorium omniidentitatis: ergo Scotus concedit contradictorium, vel propositionem contradictoriam definitioni Concilij Lateranensis; v. g. si aliquis concederet aliquam non sapientiam in Deo, concederet contradictorium omnisapientie, & qui concederet aliquam non simplicitatem in Deo, concederet contradictorium omnisapientie diuinæ, & ratio est manifesta; quia contradictoriæ propositiones sunt illæ quæ sunt eiusdem de eodem, & vna est vniuersalis affirmatiua, & altera est particularis negatiua vt omnis homo est albus, aliquis homo non est albus: sed hæ propositiones, in Deo est omniidentitas inter perso-

nas; in Deo est aliqua non identitas inter personas, sunt duæ propositiones eiusdem de eodem, vna vniuersalis affirmatiua, & altera particularis negatiua: ergo sunt contradictoriæ: sed affirmare propositionem contradictoriè oppositam alicuius Concilij definitioni, est hæreticum aperte: ergo.

Vel sensus illius est, quod Deus sit omnimodo idem cum personis; quia omnino, & omnimodo sunt synonyma: sed Scotus concedit, aliquomodo non esse idem Deum cum personis: ergo concedit contradictorium definitionis Concilij Lateranensis; patet consequentia, quia hæ sunt contradictoriæ, Deus est omnimodo idem cum personis; Deus aliquomodo non est idem cum personis: sed Concilium Lateranense definit, Deum esse idem omnimodo cum personis, & Scotus asserit, Deum aliquomodo non esse idem cum personis; quia concedit aliquomodo distinguí, id est formaliter ex natura rei, & aliquomodo distinguí est aliquomodo non esse idem: ergo contradictorium Concilij Lateranensis concedit Scotus. Sed sine expositione vlla idem inconueniens sequitur; nam Deum esse omnino idem cum personis, & Deum non esse omnino idem cum personis pugnant contradictoriè; sicut hæ propositiones, Deus est omnino sapiens, Deus non est omnino sapiens, & hæ Deus est omnino simplex, Deus non est omnino simplex: sed Concilium Lateranense in illis verbis [non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus idem omnino, vt secundum Orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur;] definit Deum esse omnino idem cum personis, & Scotus, & Scotista docent, Deum non esse omnino idem cum personis: ergo propositio Scotica contradictoriè opponitur definitioni Concilij Lateranensis; quod autem Scotus dicat, Deum non esse omnino idem, patet manifestè; quia illud non est omnino idem, quod habet aliquam distinctionem, vel quod est aliquomodo non idem: sed id, quod distinguatur aliquomodo, aliquomodo non est idem, vt patet ex dictis: ergo Scotus, qui concedit Deum aliquomodo distinguí, docet non esse omnino idem cum personis; v. g. si Scotus concederet aliquam compositionem formaliter ex natura rei inter Deum, & personas, sine dubio concederet, Deum non esse omnino simplicem; sicut si Scotus concederet in Deo aliquam ignorantiam formaliter ex natura rei, & aliquod peccatum formaliter ex natura rei, sine dubio deberet dicere, Deum non esse omnino simplicem, omnino sapientem, omnino sanctum, & omnino perfectum; quia id est omnino tale, quod est summe tale, & omnimodo tale; & quod est huiusmodi nihil oppositum in se admittit; cum autem ignorantia sit opposita sapientiæ, malitia sanctitati, compositio simplicitati, inde est, quod id, quod est omnino sapiens, nihil debet habere ignorantie, & cum malitia aliqua non compatitur omnis sanctitas, quapropter, qui concedit aliquam ignorantiam, malitiam &c. debet asserere non esse omnino sanctum; summe sapientem omnino, ac summe simplicem Deum; atqui Concilium Lateranense definit Deum esse omnino idem cum personis, & habere summam identitatem cum illis: ergo definit nihil oppositum identitatis repugnanti in Deo respectu personarum; sed oppositum identitatis est distinctio; sicut oppositum simplicitatis

citatis compositio, & oppositum sapientiae ignorantia &c. ergo definit in Deo nullam dari distinctionem à parte rei inter Deum & personam; unde sicut aequipollent hae propositiones, Deus omnino est sapiens, Deus nullo modo est ignorans, Deus omnino est sanctus, Deus nullo modo est peccans, Deus omnino est simplex, Deus nullo modo est compositus, ita aequipollent hae propositiones, Deus est omnino idem cum personis; Deus nullo modo distinguitur ab illis; ergo si Concilium docet Deum esse omnino idem cum personis, & habere summam unitatem, & identitatem cum illis, euidenter docet, nullam distinctionem habere à personis & respectu illarum; atqui Scotus concedit aliquam distinctionem inter Deum & personas: ergo propositio Scotica contradictoria est propositioni Concilij Lateranensis; patet consequentia, quia hae sunt propositiones contradictoriae; inter Deum, & personas nulla est distinctio; inter Deum & personas est aliqua distinctio: sed illa prima propositio est definitio Concilij Lateranensis, & haec secunda est Scotica: ergo definitio Concilij Lateranensis, & propositio Scotica sunt propositiones contradictoriae immediate, & maxime oppositae.

Quod autem Concilium Lateranense capite *Dominicus*, definiat, non solum diuinitatem habere omnino identitatem, sed etiam summam unitatem cum personis, patet ex g. *Nos*, ibi: [nos autem sacro approbante Concilio credimus & confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quae veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres simul personae, ac sigillatim quaelibet earundem:] ergo.

Secundo probatur haec veritas ex Concilio Florentino *sess.* 18. & 19. in quibus communi consensu Latini, & Graeci approbante Concilio frequenter docent omnem identitatem in re inter diuinitatem, & personas, his verbis [diuina substantia, & persona re quidem sunt idem:] ergo nulla est distinctio inter diuinitatem & personam.

Dices cum Scoto, illam particulam, re, solum denotare identitatem realem, non autem omnem identitatem etiam ex natura rei.

Sed contra manifestè; quia particula, re, & à parte rei, quae synonyma sunt, sunt vniuersalia: particulae realiter, & ex natura rei; unde non solum significant realiter, sed etiam extenduntur ad omnem identitatem; unde Deus cum diuinitate re identificatur; quia tam realiter, quam ex natura rei habent identitatem; quod à contrario sensu patet; nam licet modus non distinguatur realiter à re, nihilominus dicitur distinguere à parte rei, & re ab eo, cuius modus est; nam particula, re, & à parte rei, excludit solum fictionem intellectus, & comprehendit quaecunque rationem sine fictione existentem: ergo si Concilium Florentinum decernit diuinitatem identificari, re, cum persona, talis definitio, aut decretum non debet coarctari ad solam identitatem realiter; sed etiam debet extendi ad omnem identitatem à parte rei; quia illa particula, re, ponitur in propositione, quae simul definit, & docet, ac proinde in propositione doctrinali; sed propositio doctrinalis habet sensum vniuersalem: vt v. g. homo moritur & quasi aqua dilabitur, quia est propositio doctrinalis non debet coarctari

ad hunc, vel illum hominem, sed ad omnem: ergo similiter definitio illa concilij, quia doctrinalis est [diuina substantia, & persona, re quidem sunt idem] non debet coarctari ad identitatem aliquam, videlicet realem, sed potius debet extendi ad omnem identitatem siue realem, siue ex natura rei, siue à parte rei; praecipue quia Concilium Florentinum concordat cum Lateranensi, & in Lateranensi ponitur omnino idem, ubi vniuersalis identitas decernitur ratione illius particulae, omnino, & propter quam si Catholice loquendum sit, non potest coarctari ad solam vnā identitatem, videlicet realem, quia si hoc posset fieri pro libito vniuscuiusque, nulla regula statuta, & certa haberetur ad cognoscenda, & intelligenda decreta Conciliorum; quia alius pro suo libito posset etiam dicere, tam in Concilio Florentino, quam Lateranensi solum concedi identitatem realem, & non damnari distinctionem modalem quam videbatur asserere Durandus; sed certissimum est, non posse quemcunque ad libitum propositiones vniuersales Conciliorum, & definitiones doctrinales ad particulares sensus coarctare; sed potius intelligendas esse vt sonant secundum totam vniuersalitatem, quam exigit tum doctrina Catholica, & oecuménica, cuius synonymum est, vniuersalis, tum particula omnino, quae vniuersalis etiam est, ne ansa tribuatur erroribus & aditus pateat haeresibus.

Secundo efficacius, & euidentius sic insurgo contra Scotum; quia Concilium Florentinum concordans cum Lateranensi, & definiens dari identitatem vniuersalem, seu omnino talem inter diuinitatem, & personas, ac proinde omnem distinctionem excludentem; solum excipit distinctionem rationis, his verbis. [Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectus nostrae differre videntur; nam persona ex substantia, proprietatibusque consistit, quae tamen ratione, ac secundum intelligentiam nostram differant.] Ecce quomodo Concilium negans distinctionem realem, solum excipit distinctionem rationis: atqui exceptio firmat regulam in contrarium vt est commune Iurisperitorum axioma, & ita firmat regulam in contrarium, vt omne praeter illud, quod excipitur, regulae tribuat: ergo si per Concilium Florentinum ita identificatur Deus cum personis, vt solum ratione, & per intellectum differat ab illis, euidenter sequitur ex Concilio Florentino, & Lateranensi, ita identificari diuinitatem cum personis, vt nullo modo à parte rei, seu ex natura rei distinguatur ab illis: sed solum ratione, cuius argumentum euidenter est, quod si Concilium cognosceret, distinguere etiam ex natura rei, aut non damnaret omnem distinctionem etiam ex natura rei, sine dubio exciperet illam vt excipit distinctionem rationis; quia non est credibile, quod Concilium doctrinam vniuersalem tradens de identitate, & memoriam habens excipiendi tam minimam distinctionem, ac est rationis; nullo modo meminisse excipere distinctionem maiorem, qualis est distinctio formalis ex natura rei; ergo euidenter sequitur, non ideo non excepiisse illam, quia oblitum est, aut quia nihil fecit illam, cum vtrumque non possit dici. Primum quia Concilium illuminatum reuelatione Spiritus sancti infinita sapientia diuina circumfusum, dum data opera agit de iden-

titate diuina, & data opera deficit, dari vniuersalem identitatem, non potest tam notabilis rei, dum recordatur de distinctione rationis, obliuisci; neque secundum, quia minor est distinctio rationis, quam distinctio ex natura rei; atqui licet distinctio rationis minor sit alia, recordatur illius, & non relinquit illam innominatam, nihil faciens illam: ergo à fortiori non deberet relinquere maiorem distinctionem, quia nihili faceret ipsam: ergo euidenter sequitur, illam comprehendere sub regula generali, & damnaſſe tanquam hæreticam sententiam docentem dari distinctionem ex natura rei in diuinis inter diuinam naturam & personas; alias vt exceperit solam distinctionem rationis exciperet etiam distinctionem ex natura rei à regula generali.

Dices, licet distinctionem rationis exceperit *sess. illa 18. post medium. §. diuina substantia*, non tamen exceperit solam illam, quia huiusmodi termino, solus, sola, solum; non est vsum Concilium.

Sed contra manifestè primò, quia etiam si non vtatur Concilium hoc termino; solus, sola, solum; ibidem nominando eum in actu signato, in actu exercito vt videtur eo manifestè, quia excipiendo distinctionem rationis, & non exceptuando aliud, denotat se solum excipere velle talem distinctionem, siquidem tam facile poterat excipere aliam si voluisset, sicut exceperit distinctionem rationis: atqui in exceptione solius meminit huius distinctionis, & non alterius; ergo euidenter sequitur, solam illam excipere in actu exercito, etiam in actu signato non vsum fuerit huiusmodi termino, solus, sola, solum.

Secundo & euidentius, quia licet ipsum Concilium *sess. illa 18.* non vsum fuerit tali termino, solus, nihilominus tamen *sess. 25. colum. 5. §. quibus Latini, prope finem*, vtur expressè illo, excipiendo distinctionem rationis, ibi: nec identitatem coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre excedere videamur &c.] Ecce clarissimè concedendo, nullo modo distingui re diuinitatem à personis, asserit distingui sola ratione ab ipsis: ergo euidenter, & manifestè sequitur, omnem distinctionem à parte rei tam realem, quam modalem, ac tandem quam formalem ex natura rei à diuinitate respectu personarum penitus exclusisse sub anathemate Concilium Florentinum decreto fidei, & definitione sua.

Neque vllus Catholicus potest dicere, ignorasse Concilium talem distinctionem etiam si daretur; non enim hoc potest dicere, quia ausu temerario, & diabolico, ac petulanti, & superbo animo talia verba profunderet, quia hic loquimur de Concilio definiente tanquam articulum de fide doctrinam omnem necessariam ad identitatem Dei pertinentem inter diuinitatem & personas; atqui tale Concilium vt sic definiens, decernit articulos fidei diuina reuelatione illuminatum, & non scientia humana, sed diuina assistente, & diuino numinis afflatu concitante, obumbranteque Spiritu sancto; quia tunc Ecclesia Catholica, & Concilium fungitur munere regulæ infallibilis: ergo dicere quod Ecclesia ignorauerit talè distinctionem in est asserere, Deum ignorare illam, cuius scientia sola, & assistentia infallibili gubernatur Ecclesia; sed hoc dicere est hæreticum absurdum: ergo nullus Catholicus

potest dicere, Concilium Florentinum ignorasse talem distinctionem ex natura rei; ex quo amplius confirmo dicta; aduertendo asserere distinctionem in diuinis, quam nunquam cognouit Ecclesia Catholica neque fides, esse omnino chimericum, phantasticum & sine vlllo fundamento, & indignum omnino vt à viro Catholico asseratur, & doceatur.

Sed concedamus casu negato, & dari talem distinctionem, & non cognouisse tam Concilium, saltem non potest dici, quod Deus non cognouerit illam, nisi instanti tenebris ostendantur aduersarij; tunc enim Deus cognoscens talem distinctionem, ita deberet gubernare Concilium, vt non proferret propositionem vniuersalem, negantem omnem distinctionem à parte rei, confirmatam exceptione solius distinctionis rationis; sed potius deberet facere, vt Ecclesia in particulari, & determinate damnet distinctionem realem simpliciter, quia non ita faciendo, permetteret Ecclesiam errare; siquidem vtendo tali propositione vniuersali, sub qua non comprehenditur distinctio ex natura rei, falso loquitur Ecclesia, quia tunc est falsa propositio vniuersalis, quando sub illa non comprehenduntur cum veritate omnia particularia, v. g. si aliquis diceret, nullus homo saluatur, aut omnis homo condemnatur, essent falsæ propositiones; quia aliquis homo saluatur, & aliquis non condemnatur; nam ad veritatem vniuersalis propositionis requiritur veritas omni in particulari, & singulari, & ad falsitatem; & contra sufficit, quod vna particularis falsificetur; sed Ecclesia in Concilio Lateranensi, & Florentino decernit has propositiones vniuersales; omnis identitas datur inter diuinitatem, & personas, & nulla distinctio reperitur inter ipsas, præter distinctionem rationis: ergo si datur aliqua alia distinctio, præter distinctionem rationis, & aliqua non identitas à parte rei: ergo licet non mentiatur Ecclesia in tali doctrina vniuersali, quia ad mentendum est necessaria cognitio oppositi, quod proferitur; mentiri enim vt inquit Augustinus *libro de mendacio*, est contra mentem ire, aut contra cognitionem mentis aliquid proferre; nihilominus tamen falsam doctrinam decerneret, si quidem docet vniuersaliter nullam dari distinctionem, præter rationis; cum detur alia quæ alia præter illam, videlicet formalis ex natura rei, & asserat dari omnem identitatem cum non detur identitas ex natura rei formaliter; sed summum absurdum est dicere & intolerabilis temeritas proferre, Ecclesiam vniuersalem & Catholicam, Summo Pontifice præſente Spiritu sancto assistente, & obumbrante dum accedit ad definiendam veritatem Catholicam, ignorare quod definiat, & falsam doctrinam decernere: ergo sine dubio asserendum est, talem doctrinam vniuersalem esse verissimam, & non falsam, & oppositum illius esse apertè falsum, & hæreticum: atqui oppositum contradictorium illius est asserere, vt asserit Scotus & docent Scotistæ, non dari omnem identitatem inter diuinitatem, & personam, & dari aliquam distinctionem scilicet ex natura rei formalem: ergo.

Tertio, sic probatur hæc veritas aduertendo, nullius momenti esse obiectionem illorum, qui asserunt, Concilium Florentinum non habuisse pro primario intento definire omnem identitatem inter diuinitatem, & personas; sed solum processu

processionem Spiritus sancti à Patre, & à Filio.

Tum quia in tali Concilio primario non solum agebatur de processione Spiritus sancti à Patre, & à Filio, sed etiam de innumeris mysteriis fidei, ut patet ex literis unionis, ubi fit epilogus omnium articulorum fidei, qui data opera definiti sunt in illo Concilio, inter quos data opera etiam agitur de identitate diuinitatis cum personis: ergo falsa est solutio, & nullius momenti aduersariorum obiectio; tum etiam & casu negato; quia quamvis primum institutum illius Concilij non fuisset, identitatem, aut distinctionem supradictam definire, tanquam de fide, nihilominus tamen quia necessario cohererebat cum processione Spiritus sancti à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, quæ primario definienda erat, ideo prædictæ omni identitati à parte rei adscribitur summa, & infallibilis auctoritas.

Tum denique, & euidens; quia licet in Concilio Florentino aliter eueniat, nihilominus tamen non potest negari vllò modo primum intentum, & præcipuum finem definitionum Concilij Lateranensis capite *Damnatus*, ubi expressius & clarius decernitur omniidentitas diuina, & excluditur omnis distinctio à parte rei, fuisse supradictam identitatem vniuersalem definire ad condemnandum libellum Ioachimi Abbatis data opera negantis summam identitatem Dei cum personis: ergo saltem in hoc Concilio quidquid sit de aliis, definitum est tanquam de fide primario ac principaliter, inter diuinitatem, & personas dari omnem identitatem sine vlla distinctione, siue reali, siue modali, siue ex natura rei formali excepta distinctione rationis.

Quartò probatur principaliter, ex Concilio Remensi, & decreto Eugenij tertij, in quo definitum est contra Gilbertum Porretanum nullam posse affirmari distinctionem tam realem, quam ex natura rei, & formalem; nam Gilbertus Porretanus relationes diuinas ab essentia non distinguebat ut rem à re, sed quasi modum, aut formalitatem à re, nihilominus oppositum decernit Concilium Remense his verbis; [credimus solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum æternum esse; nec aliquas omnino res, siue relationes, siue singularitates vel vnitates dicantur, & huiusmodi alia in Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint ipse Deus.] Et ne aliquis diceret ibi loqui Concilium de solis rebus; Eugenius tertius habito prius Remensi Concilio, & adhibito postea Concilio Cardinalium contra Gilbertum definiens, his verbis solutioni nuper dictæ penitus aditum occludit: [nec aliqua ratio Theologica inter naturam & personam diuideret, neue Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam ex sensu nominatiui.] Quid clarius? Cuius distinctionis primum membrum accipitur iuxta modum loquendi Aristotelis, & Peripateticorum 1. *Periberm.* cap. 1. & 3. *de anima*, text. 21. & 6. *metaphys.* text. 8. apud quos intellectus, siue rationis compositio, & diuisio idem est, quod affirmatio, & negatio; quapropter idem est, ac si Pontifex definiret, neque ratio Theologica negaret naturam esse personam, aut personam esse naturam propter aliquam distinctionem etiam minimam, quæ à parte rei datur, qualis est formalis ex natura rei, sed potius concederet quod Deus, & Pater est omnino

idem cum essentia, ac proinde est diuina essentia in nominatio, accipiendo essentiam perinde ac si diceret Pater non solum est Deus deitate, sicut Petrus humanitate est homo, sed etiam Pater est deitas, licet Petrus non sit humanitas; refutabat enim Gilbertus concedere, quod diuina essentia esset persona, vel esset Pater omnino; quia concedebat aliquam distinctionem inter essentiam & relationem saltem formalem vel formalitatis à re: sed eodem modo procedunt Scotus & Scotista; ergo eodem modo damnantur, ac Gilbertus à Concilio. Minor sic demonstratur; quia Scotus ait, rectam rationem Theologicam diuidere inter essentiam, & relationes; è contra vero Concilium Remense definit contra Gilbertum, nullam rationem Theologicam diuidere inter naturam, & personam illis verbis: [nec aliqua ratio Theologica inter naturam, & personam diuideret.]

Deinde Scotus adstruit distinctionem rationum formalium ex natura rei inter essentiam, & personas; quod etiam faciebat Gilbertus Porretanus; Concilium vero Florentinum prorsus excludit omnem distinctionem ante intellectum; ergo Scotus, & Scotista; incidunt in incommmoda, in quæ incidit Gilbertus, ac tam immediate opponuntur definitioni Concilij, sicut opponitur doctrina Gilberti, & ideo grauissimi Doctores, præter supradictos, Valentia, Zumel, Arrubal, & alij omnino explodendam esse doctrinam Scotistarum asserunt, tanquam parum tutam in fide; accedat his Conciliis Augustinus 7. *de Trinit.* cap. 4. & cap. 6. ibi: [non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.] Ecce quomodo Augustinus eisdem terminis loquitur ad declarandam omnem identitatem diuinam sine vlla distinctione etiam ex natura rei; quibus vtitur Concilium Lateranense, cap. *Damnatus*, & post pauca sic ait: [neque in hac Trinitate cum dicimus, personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris; quia tres personas vnā essentiam dicimus, tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud quod persona.] Similia multa dicit lib. 15. cap. 6. & Bernardus oppugnans Gilbertum lib. 5. *de consideratione ad Eugenium*, sic ait: [si diuidere quis conetur, vel personas à substantia, vel proprietates à personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit.] Diuidere autem Bernardus intelligit pro aliquomodo distinguere à parte rei; quia tali distinctione, quæcumque sit, sacrosanctum, & inscrutabile profundum mysterium Trinitatis ferè totum coarctatur rebus creatis, earumque regulis, & principiis, si personalitates à deitate distinguuntur ex natura rei, & ante opus intellectus, & hoc sonant illa verba Bernardi, [si diuidere quis conetur, &c.] vsque ad illa, cultorem possit.

Sequela sic probatur, quia eandem quantitatem modificant ubi, extensio, figura, quia non ut res à re, sed ut modi à re, seu formaliter ex natura rei distinguuntur à quantitate, formalitas enim illius est actualis inherencia, vbicatio, raritas, densitas, & figura; propterea tamen non violatur principium illud, & lex creatoris omnibus inuolabilis; [quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.] Ergo præcise ex vi huius principij, nec non ex vi formæ syllogisticæ, nihil

aut

aut certe parum erit in Trinitate mirabile, superexcedensque limitationem creaturarum, si tres proprietates personales distinguuntur ex natura rei ante opus intellectus: ergo hæc distinctio destruit mysterium Trinitatis: patet consequentia; quia mysterium Trinitatis in eo consistit, quod tres res sint una res omnino, seu quod tres personæ sint omnino idem quod una essentia divina & tria supposita realiter distincta; eo autem ipso, quod divinæ relationes sint actu ante intellectum, aliqua distinctione distinctæ ab essentia, non vere dicuntur tres res esse una res, nec tres personæ divinæ idem omnino. quod Deitas; quia quæcunque distinctio destruit omnimodam identitatem, ut patet ex dictis, quæ exclusæ parum sublimis est mysterium, nec dignum his præconiis, quibus sancti Patres illud commendant ipsumque à nostris, imo & Cherubino- rum sapientia longe remotissimum profitentur.

Tandem sic demonstratur hæc veritas, quia ut certum est in Logica, & in bona Metaphysica non sunt veræ propositiones illæ, in quibus abstracta prædicantur de concretis, vel de aliis abstractis, vel concreta prædicantur de abstractis; quando nominum significata distinguuntur ante operationem intellectus etiam si distinguantur ex natura rei; sed secundum fidem Catholicam abstracta essentia divinæ prædicantur de personis in concreto: & relatio, seu personalitas in abstracto prædicatur non solum de divinitate, siue essentia in abstracto; sed etiam de Deo in concreto: ergo in vnoquoque prædictorum extremorum nihil includitur, quod realiter distinguatur ab altero extremo neque realiter, neque ex natura rei formaliter. Maior à priori sic demonstratur; quia pars non prædicatur de toto, neque id, quod se habet ad modum partis videlicet entitatis coniunctæ cum alia ante intellectum seu à parte rei, & ex natura rei distincta; imo ad veritatem huiusmodi prædicationum non sufficit realis identitas, sed potius requiritur formalissima identitas; quia abstracta, quæ prædicantur, non continent sensum solum identicum, sed formalem; quia formalissimæ rationes sunt, & ideo licet in divinis sit verum dicere, qui misericors est, punit, & qui iustus est, miseretur, nihilominus tamen in abstracto non dicuntur iustitia miseretur, & misericordia punit, imo in concretis si reduplicative sumantur non est verum dicere, misericors ut misericors punit, iustus ut iustus miseretur, & ratio est, quia continent sensum formalissimum propositiones de abstractis, & reduplicativæ; unde quando sunt de Verbis adiectivis, quia non solum formalissime sunt à parte rei, sed etiam per intellectum, quales sunt nuper dictæ, non solum petunt ad sui veritatem, & ut prædicentur ad invicem identitatem formalem à parte rei, sine vlla distinctione à parte rei, sed etiam identitatem formalem per intellectum, & ideo in nullius sententia sunt veræ hæc propositiones, Pater est divinitas, sed divinitas non generat: ergo Pater non generat, quia licet dicantur identitatem omnimodam à parte rei, nihilominus tamen virtualiter distinguuntur & formaliter per intellectum; unde ut essent veræ illæ argumentationes, necesse erat, ut tam re, quam ratione concreta, & abstracta identificarentur; è contra vero ad verificationem prædicationum de verbo substantivo inter abstracta, & concreta, licet non requiratur idéitas adhuc per rationem,

nihilominus tamen requiritur formalissima idéitas à parte rei propter formalissimum sensum quem continent abstracta, in quo distinguuntur à concretis, & ideo licet concreta prædicentur propter solam identitatem materialem, v.g. cum dicimus, quantitas figurata est quantitas vbiata; nihilominus tamen in abstracto non possunt prædicari; v.g. figura quantitatis est vbi quantitatis, aut quantum est figura; quia tales prædicationes petunt sensum formalissimum; ac proinde identitatem formalissimam propter significatur per copulam verbi substantivi, & propter hanc causam, licet sit verum dicere, homo est rationalis, & rationalis est animal, nihilominus tamen non est verum dicere, homo est rationalis, rationalis est animalitas, quia in illis non datur idéitas formalissimæ à parte rei seu ex natura rei; quia si illa daretur, sine dubio locum haberet prædicatio abstracti de concreto, & concreti de abstracto quod evidenter patet in hac prædicatione, entitas est ens, ens est entitas, quæ in omnium sententia verificatur; quia inter illa datur omnis idéitas sine vlla distinctione à parte rei, sed in divinis concreta de abstractis, & abstracta de concretis cum veritate prædicantur: ergo evidenter sequitur contra Scotum dari inter concreta & abstracta in divinis omnem identitatem à parte rei sine vlla distinctione formali ante intellectum.

Minor illa, in qua difficultas consistit, sic probatur ex Scriptura, & Concilii in Concilio enim Lateranensi, cap. *Damnatus*, dicitur [qualibet trium personarum est illa res videlicet substantia, essentia, seu natura divina.]. Ecce persona, quæ est concretum, prædicatur de natura divina, aut divinitate, quæ est abstractum. Item Nisenum Concilium lib. 2. colum. 8. §. *sancta, & magna*, sic loquitur; [divinitas non est sola una persona, sed tres personæ verè subsistentes] & *Ioannis* 14. dicitur; ego sum veritas, & vita, quæ abstracta divinitatis, & essentia sunt, & tamen prædicantur de persona Verbi, quem designat pronomen, ego, vbi licet plerique Patres explicant, Christum Dominum esse auctorem cognitionis, & gratia; quæ nobis est æterna vita; propterea tamen non excluditur primarius sensus; unde provenit ille secundarius, etenim ex eo quod Verbum, seu persona Christi Domini sit realiter, & substantialiter veritas, & vita, provenit esse auctorem veritatis, & vitam communicandæ Angelis, & hominibus.

Item Sanctus Iacobus Apostolus apud Clementem libro 8. *Apostolicarum constitutionum*, cap. 12. *prope initium*, Deum Patrem ingenturam sic alloquitur, [tu es cognitio sine principio; ad speciem æternus, auditus non generatus, sapientia non tradita à Doctore, & lex eo ipso quod es.]

Deinde Filium vni genitum appellat sapientiam Dionysius de *divinis nominibus*, cap. 2. à principio, de Patre, Filio, & Spiritu sancto collectivè sumptis prædicat essentiam, sapientiam, bonitatem, & potentiam in abstracto; similiterque loquitur cap. 4. §. 5. & 6. notatque rationem esse; quia Deus à seipso prædictas perfectiones habet; non ab alio participatas, nec ab habente habet; non ab alio participatas sequitur est D. Thomas ad probandum relationes esse omnino idem sine distinctione cum essentia; quia divina essentia est in omni genere entis perfectissima, continetque proinde omnem perfectionem, aut emittentem,

nenter, si sit admixta imperfectione, ut sunt perfectio creaturarum, aut formaliter, si imperfectionem non habeat, ut re vera non habent relationes diuinae. Deinde hæc continentia non potest esse solum, quia habet huiusmodi perfectiones sibi unitas, licet ab illa distinctas, sic enim entitas ipsius essentiae non esset formaliter omnino perfecta: sed quasi indigeret aliis entitatibus à se formaliter ex natura rei distinctis, quibus perficeretur, & saltem dubitari non potest, quin multo perfectior sit illa res, quæ in sua entitate independenter ab alia distincta habet omnem perfectionem possibilem: atqui essentia diuina est summe & infinite perfecta non solum realiter, sed etiam ex natura rei, id est ex natura propriæ excellentiæ, & eminentiæ: ergo relationes illæ, quæ sunt perfectiones non solum debent identificari cum diuina essentia realiter, sed etiam ex natura rei sed ea, quæ identificantur, eo modo, quo identificantur, non distinguuntur inter se: ergo si relationes identificantur non solum realiter, sed etiam ex natura rei cum essentia; neque realiter, neque ex natura rei distinguuntur ab illa illa consequentia patet; quia ideo diuina essentia est idem realiter cum relationibus, & cum omnibus perfectionibus formaliter existentibus in Deo, quia diuina essentia realiter est summe, & infinite perfecta à se, & per se, quia est talis simplicissime per suam ipsam entitatem realem: atqui diuina natura non solum realiter, sed etiam ex natura sua formalissime, ac proinde ex natura rei est infinite perfecta: ergo non solum realiter sed etiam formaliter ex natura rei, & ex natura sua est idem cum omni perfectione formaliter existente in ipsa, quales sunt relationes, & attributa: maior adeo est evidens ut nullo modo possit negari ab Scoto, nam ipse tribuens rationem, quem omnes Scotistæ in hoc sequuntur, cur Deus non distinguatur realiter tanquam res à re à relationibus, & attributis, asserit quia Deus est infinite perfectus, ita ut si non identificaretur realiter cum omni perfectione sine imperfectione esset imperfectus; unde creaturæ propter suam imperfectionem distinguuntur realiter à suis perfectionibus, & sic indigent alio à se distincto ad sui perfectionem: ergo ideo Deus secundum veritatem, & secundum opinionem aduersariorum identificatur realiter cum relationibus & attributis, quia realitas, & entitas diuina essentia est infinite perfecta, hoc est realiter talis.

Minor illa, ut discursus sit demonstratio solum indiget probatione, quæ in §. sequenti, ponitur.

§.

Ultima ratio principalis ponitur.

Nam diuina essentia non ex natura alia, & per aliam entitatem, sed ex natura sua, & quatenus formalissime distinguitur à quacunque alia non est imperfecta, sed potius infinite perfectissima; atqui si ex natura rei & ex natura sua formalissime non esset omnis perfectio sine imperfectione, & non identificaretur omnino à parte rei cum illa, sed potius distingueretur ex natura rei formaliter ab illa, ex natura rei formaliter esset imperfecta, & non esset infinite perfecta; quia quod imperfectum est, infinite

I. P. Tom. II.

perfectum esse non potest: ergo Deus non solum realiter, sed etiam ex natura rei formaliter est idem cum omni perfectione sine imperfectione, qualis est relatio, & attributum.

Minor in qua est difficultas, sic demonstratur; quia ideo Deus esset imperfectus realiter per vos, & secundum veritatem ipsam etiam si haberet quamcunque perfectionem, si distinguatur realiter à perfectione sine imperfectione; v.g. ab attributis, & relationibus eo modo, quo dicebat Gilbertus Porretanus, quia non identificaretur cum illis realiter, quas haberet; & ratio à priori est, quia etiam si haberet omnes alias, dum tamen distinguatur realiter ab illis, deficeret à Deo maxima alia perfectio, scilicet identitas realis cum eisdem perfectionibus, quas haberet formaliter; cum autem imperfectum sit id, cui deficit aliqua perfectio sine imperfectione; inde est quod Deus licet habet omnes alias perfectiones, si non haberet identitatem realem cum illis, esset imperfectus realiter; atqui per vos licet realiter habeat identitatem cum omnibus perfectionibus, nihilominus deficit illi alia perfectio sine imperfectione, videlicet identitas ex natura rei formaliter cum illis: ergo licet habeat identitatem realem, & reliquas perfectiones, quas conceditis, nihilominus erit imperfectus ex natura rei, quia ex natura rei non habet identitatem cum illis etiam si habeat identitatem realem cum eisdem, patet euidenter consequentia: quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus vel quasi effectus formalis; atqui in nostro casu contra vos datur eadem ratio formalis ex natura rei, quæ dabatur contra hæreticos in vestro argumento ad probandum dari imperfectionem in Deo; tota enim ratio erat, quod deficeret identitas realis cum omni perfectione, cuius defectus imperfectio est, quia identitas, cuius defectus est perfectio est; atqui licet datur identitas realis, deficit identitas formalis ex natura rei, quæ est perfectio sine imperfectione, & sic defectus illius erit imperfectio: ergo datur eadem ratio formalis, videlicet defectus perfectionis: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet Deum esse defectuosum, & imperfectum; hic discursus demonstratio est.

Urgetur; quia si vos concederetis omnipotentiam, & reliquas perfectiones diuinas in Deo, & solum negaretis sapientiam, sine dubio Deum imperfectum faceretis, quia concederetis defectum alicuius perfectionis, scilicet carentiam sapientiæ; atqui in nostro casu licet concedatis omnes relationes, & attributa, & identitatem realem cum illis, negatis tamen aliam perfectionem maximam, scilicet identitatem ex natura rei cum eisdem, ac proinde conceditis defectum, & carentiam huius perfectionis in Deo: ergo conceditis, Deum esse, & constitui à tali defectu defectuosum, & imperfectum.

Confirmatur amplius, quia etiam si concederetis sapientiam cum reliquis attributis, si illam non concederetis in gradu summo quæ vocaretur omni sapientia, & ratione talis summitatis, & omneitatis, ut ita loquar, excluderet omne sibi oppositum, non solum realiter sed etiam ex natura rei, videlicet quamcunque ignorantiam, etiam minimam, siue realiter, siue ex natura rei, sine dubio poneretis Deum imperfectum, quia poneretis eum cum defectu alicuius perfectionis,

n